



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessio Fidei Exhibita Invictiss. Imp. Carolo V. Cæsari
Aug. in Comicijs Avgvstæ. Anno M. D. XXX.**

Melanchthon, Philipp

Viteberga, 1542

VD16 C 4714

XVII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35748

ARTICVL I FIDEI

dilectione, obedientia. Euangelium enim concio-
natur de quadam æterna iusticia cordis, Nec abo-
let interim politiam aut Oeconomiam, Sed maxi-
me postulat eas in hac uita corporali conseruari,
tanquam ordinationes Dei, & in talibus ordina-
tionibus exercere caritatem. Itaq; Christiani ne-
cessario debent obedire præsentibus magistrati-
bus ac legibus, nisi cum iubent peccare. Tunc
enim magis debent obedire Deo quam hominibus
Actorum 4.

XVII.

Item, docent quod Christus apparebit in con-
summatione mundi, ad iudicandum, & mortuos
omnes resuscitabit, & hominibus pijs dabit uitam
æternam & gaudia perpetua. Impios autem homi-
nes & diabolos condemnabit, ut sine fine cruci-
entur.

Damnamus Anabaptistas, qui nunc iudaicas
opiniones spargunt, fingunt ante resurrectionem,
pios regna mundi occupaturos esse, ubiq; deletis
aut oppressis impijs. Scimus enim quod pijs debeant
obedire præsentibus magistratibus, non eripere
eis imperia, non dissipare politias per seditionem,
quia Paulus precipit, Omnis anima magistratu*suo*

PRÆCIPVI.

suo subdita sit, Scimus item, q̄ Ecclesia in hac uita
subiecta sit cruci, & primum post hanc uitam
glorificabitur, Sicut Paulus inquit, Oportet nos
similes fieri imaginis filij Dei, Quare Anabapti-
starum amentiam & diabolicum furorem pror-
sus damnamus & execramur.

Damnamus & Origenistas, qui finxerunt
Diabolis & damnatis finem pœnarum futurum
esse.

XVIII.

De libero arbitrio docent, quod humana uo-
luntas habeat aliquam libertatem ad efficiendam
ciuilem iusticiam, & diligendas res rationi sub-
iectas. Sed non habet uim sine spiritu sancto, effi-
ciendæ iusticiæ spiritualis, quia Paulus dicit, Ani-
malis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei,
Et Christus dicit, Sine me nihil potestis facere,
Efficitur autem spiritualis iusticia in nobis, cum ad
iuuamur a spiritu sancto. Porro spiritum sanctum
concipimus, cum uerbo Dei assentimur, ut nos fide
in terroribus consolemur, Sicut Paulus docet cum
ait, Ut promissionem spiritus accipiatis per fidem.
Hæc totidem uerbis dicit Augustinus libro tertio
Hypognosticon.

Esse